

Et subscriptio: Divinitas te servet per multis annos, sanctissime ac beatissime pater.

10. — 592, luglio. *Gregorio I a Giovanni, vescovo di Ravenna.*

FONTE: Beati Gregorii papae epistulae ex registro, II, 45.
EDIZ.: Mon. Germ. Hist., *Epist.*, I, 144.

Gregorius Iohanni episcopo Ravennae.

De causa vero episcoporum Histriae omnia, quae mihi vestra fraternitas scripsit, ita esse iam ante deprehendi in his iussionibus, quae ad me a piissimis principibus venerunt, quatenus me interim ab eorum compulsione suspenderem. Ego quidem pro his, quae scripsistis, zelo atque ardori vestro valde congaudeo, debitoremque me vobis multipliciter factum profiteor. Scitote tamen, quia de eadem re serenissimis dominis cum summo zelo et libertate rescribere non cessabo. Movere autem vos non debet praefati excellentissimi viri Romani patricii animositas, quia nos, quantum eum loco et ordine praeimus, tantum, si qua sunt, eius levia tolerare mature et graviter debemus.

De hoc vero quod dicitis incensae civitati Severi scismatici elemosynam esse mittendam, idcirco ita vestra fraternitas sentit, quia, quae contra nos praemia in palatio mittat, ignorat. Quae, etsi non trasmitteret nobis, considerandum fuit, quia misericordia prius fidelibus ac post est ecclesiae hostibus facienda. Iuxta quippe est civitas Fanum, in qua multi captivati sunt etc.

11. — 603, giugno. *Gregorio I all' esarcato Smaragdo.*

FONTE: Beati Gregorii I papae epistulae ex registro, XIII, 36.
EDIZ.: Mon. Germ. Hist., *Epist.*, II, 398 sgg.